

**Vorlesung FS 09**  
**Ovid**  
**1. Kollegstunde (19.02.09)**  
**Ovids Weg zum (Liebes-)Dichter**

Texte: 1. Ov. *am.* 1, 1  
 2. Ov. *am.* 1, 15  
 3. Ov. *am.* 3, 15

**Text 1:** Ov. *am.* 1, 1 (ed. Kenney, 1989 (OCT))

Qui modo Nasonis fueramus quinque libelli,  
 tres sumus: hoc illi praetulit auctor opus.  
 ut iam nulla tibi nos sit legisse voluptas,  
 at levior demptis poena duobus erit.

Arma gravi numero violentaque bella parabam  
 edere, materia conveniente modis.  
 par erat inferior versus; risisse Cupido  
 dicitur atque unum surripuisse pedem.  
 'quis tibi, saeve puer, dedit hoc in carmina iuris? 5  
 Pieridum vates, non tua, turba sumus.  
 quid, si praeripiat flavae Venus arma Minervae,  
 ventilet accensas flava Minerva faces?  
 quis probet in silvis Cererem regnare iugosis,  
 lege pharetratae virginis arva coli? 10  
 crinibus insignem quis acuta cuspide Phoebum  
 instruat, Aoniam Marte movente lyram?  
 sunt tibi magna, puer, nimiumque potentia regna:  
 cur opus adfectas, ambitiose, novum?  
 an, quod ubique, tuum est? tua sunt Heliconia tempe? 15  
 vix etiam Phoebo iam lyra tuta sua est?  
 cum bene surrexit versu nova pagina primo,  
 attenuat nervos proximus ille meos.  
 nec mihi materia est numeris levioribus apta,  
 aut puer aut longas compta puella comas.' 20  
 Questus eram, pharetra cum protinus ille soluta  
 legit in exitium spicula facta meum  
 lunavitque genu sinuosum fortiter arcum

'quod'que 'canas, vates, accipe' dixit 'opus.'

me miserum! certas habuit puer ille sagittas: 25  
 uror, et in vacuo pectore regnat Amor.

sex mihi surgat opus numeris, in quinque residat;  
 ferrea cum vestris bella valete modis.

cingere litorea flaventia tempora myrto,  
 Musa per undenos emodulanda pedes. 30

**Text 2:** Ov. *am.* 1, 15 (ed. Kenney, 1989 (OCT))

Quid mihi, Livor edax, ignavos obicis annos  
 ingeniique vocas carmen inertis opus,  
 non me more patrum, dum strenua sustinet aetas,  
 praemia militiae pulverulenta sequi  
 nec me verbosas leges ediscere nec me 5  
 ingrato vocem prostituisse foro?  
 mortale est, quod quaeris, opus; mihi fama perennis  
 quaeritur, in toto semper ut orbe canar.

vivet Maeonides, Tenedos dum stabit et Ide,  
 dum rapidas Simois in mare volvet aquas; 10  
 vivet et Ascraeus, dum mustis uva tumebit,  
 dum cadet incurva falce resecta Ceres;

Battiades semper toto cantabitur orbe:  
 quamvis ingenio non valet, arte valet;  
 nulla Sophocleo veniet iactura cothurno; 15  
 cum sole et luna semper Aratus erit;  
 dum fallax servus, durus pater, improba lena  
 vivent et meretrix blanda, Menandros erit;  
 Ennius arte carens animosique Accius oris  
 casurum nullo tempore nomen habent; 20  
 Varronem primamque ratem quae nesciet aetas  
 aureaque Aesonio terga petita duci?  
 carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti,  
 exitio terras cum dabit una dies;  
 Tityrus et fruges Aeneiaque arma legentur, 25

Roma triumphati dum caput orbis erit;  
donec erunt ignes arcusque Cupidinis arma,  
discentur numeri, culte Tibulle, tui;  
Gallus et Hesperiis et Gallus notus Eois,  
et sua cum Gallo nota Lycoris erit. 30

ergo, cum silices, cum dens patientis aratri  
depereant aevo, carmina morte carent:  
cedant carminibus reges regumque triumphi,  
cedat et auriferi ripa benigna Tagi!  
vilia miretur vulgus; mihi flavus Apollo 35  
pocula Castalia plena ministret aqua,  
sustineamque coma metuentem frigora myrtum  
atque a sollicito multus amante legar.  
pascitur in vivis Livor; post fata quiescit,  
cum suus ex merito quemque tuetur honos: 40  
ergo etiam cum me supremus adederit ignis,  
vivam, parsque mei multa superstes erit.

**Text 3:** Ov. *am.* 3, 15 (ed. Kenney, 1989 (OCT))

Quaere novum vatem, tenerorum mater Amorum:  
raditur haec elegis ultima meta meis;  
quos ego conposui, Paeligni ruris alumnus,  
(nec me deliciae dedecuere meae)  
si quid id est, usque a proavis vetus ordinis heres, 5  
non modo militiae turbine factus eques.  
Mantua Vergilio gaudet, Verona Catullo;  
Paelignae dicar gloria gentis ego,  
quam sua libertas ad honesta coegerat arma,  
cum timuit socias anxia Roma manus. 10  
atque aliquis spectans hospes Sulmonis aquosi  
moenia, quae campi iugera pauca tenent,  
‘quae tantum’ dicet ‘potuistis ferre poetam,  
quantulacumque estis, vos ego magna voco.’  
culte puer puerique parens Amathusia culti, 15

aurea de campo vellite signa meo;  
corniger increpuit thyrso graviore Lyaeus:  
pulsanda est magnis area maior equis.  
inbelles elegi, genialis Musa, valete,  
post mea mansurum fata superstes opus.

20

**Vorlesung FS 09**  
**Ovid**  
**2. Kollegstunde (26.02.09)**

Texte: 1. Ov. *am.* 2, 18  
2. Ov. *epist.* 1

**Text 1:** Ov. *am.* 2, 18 (ed. Kenney, 1989 (OCT))

Carmen ad iratum dum tu perducis Achillem  
primaque iuratis induis arma viris,  
nos, Macer, ignava Veneris cessamus in umbra,  
et tener ausuros grandia frangit Amor.  
  
saepe meae ‘tandem’ dixi ‘discede’ puellae:  
in gremio sedit protinus illa meo;  
saepe ‘pudet’ dixi: lacrimis vix illa retentis  
‘me miseram, iam te’ dixit ‘amare pudet?’  
implicuitque suos circum mea colla lacertos  
et, quae me perdunt, oscula mille dedit.  
10  
vincor, et ingenium sumptis revocatur ab armis,  
resque domi gestas et mea bella cano.  
  
sceptra tamen sumpsi curaque tragedia nostra  
crevit, et huic operi quamlibet aptus eram:  
risit Amor pallamque meam pictosque cothurnos  
sceptraque privata tam cito sumpta manu;  
hinc quoque me dominae numen deduxit iniquae,  
deque cothurnato vate triumphat Amor.  
  
quod licet, aut artes teneri profitemur Amoris  
(ei mihi, praeceptis urgeor ipse meis),  
aut quod Penelopes verbis reddatur Ulix  
scribimus et lacrimas, Phylli relictta, tuas,  
quod Paris et Macareus et quod male gratus Iason  
Hippolytique parens Hippolytusque legant,  
quodque tenens strictum Dido miserabilis ensem  
dicat et †Aoniae Lesbis amata lyrae†.  
25  
quam cito de toto rediit meus orbe Sabiunus

scriptaque diversis rettulit ipse locis!  
 candida Penelope signum cognovit Ulixis,  
 legit ab Hippolyto scripta neverca suo; 30  
 iam pius Aeneas miserae rescriptis Elissae,  
 quodque legat Phyllis, si modo vivit, adest.  
 tristis ad Hypsipylem ab Iasone littera venit,  
 dat votam Phoebo Lesbis amata lyram.  
 nec tibi, qua tutum vati, Macer, arma canenti,  
 aureus in medio Marte tacetur Amor: 35  
 et Paris est illic et adultera, nobile crimen,  
 et comes extincto Laodamia viro.  
 si bene te novi, non bella libentius istis  
 dicis, et a vestris in mea castra venis. 40

**Text 2:** Ov. *epist.* 1 (ed. Dörrie, 1971 (Gruyter))

Hanc tua Penelope lento tibi mittit, Ulike.  
 Nil mihi rescribas tu tamen; ipse veni!  
 Troia iacet certe Danais invisa puellis, —  
 vix Priamus tanti totaque Troa fuit!  
 O utinam tum, cum Lacedaemona classe petebat, 5  
 obrutus insanis esset adulter aquis!  
 Non ego deserto iacuisse frigida lecto,  
 non quererer tardos ire relicta dies  
 nec mihi quaerenti spatiosam fallere noctem  
 lassaret viduas pendula tela manus. 10  
 Quando ego non timui graviora pericula veris?  
 Res est solliciti plena timoris amor.  
 In te fingebam violentos Troas ituros;  
 nomine in Hectoreo pallida semper eram;  
 sive quis Antilochum narrabat ab Hectore victum, 15  
 Antilochus nostri causa timoris erat,  
 sive Menoetiaden falsis cecidisse sub armis,  
 flebam successu posse carere dolos.  
 Sanguine Tlepolemus Lyciam tepefecerat hastam,

Tlepolemi leto cura novata mea est.	20
Denique quisquis erat castris iugulatus Achivis, frigidius glacie pectus amantis erat.	
Sed bene consuluit casto deus aequus amori: Vera est in cineres sospite Troia viro.	
Argolici rediere duces, altaria fumant,	25
ponitur ad patrios barbara praeda deos.	
Grata ferunt nymphae pro salvis dona maritis; illi victa suis Troica fata canunt:	
Mirantur †iustique† senes trepidaeque puellae, narrantis coniunx pendet ab ore viri.	30
Atque aliquis posita monstrat fera proelia mensa pingit et exiguo Pergama tota mero:	
„Hac ibat Simois, haec est Sigeia tellus, hic steterat Priami regia celsa senis;	
illic Aecides, illic tendebat Ulixes,	35
hic lacer admissos terruit Hector equos.”	
Omnia namque tuo senior te quaerere misso rettulerat nato Nestor, at ille mihi.	
Rettulit et ferro Rhesumque Dolonaque caesos, utque sit hic somno proditus, ille †dolo†.	40
Ausus es, o nimium nimiumque oblite tuorum, Thracia nocturno tangere castra dolo totque simul mactare viros, adiutus ab uno!	
At bene cautus eras et memor ante mei.	
Usque metu micuere sinus, dum victor amicum	45
dictus es Ismariis isse per agmen equis.	
Sed mihi quid prodest vestris disiecta lacertis Ilios et murus quod fuit esse solum, si maneo, qualis Troia durante manebam,	
virque mihi dempto fine carendus abest?	50
Diruta sunt aliis, uni mihi Pergama restant, incola captivo quae bove vitor arat; iam seges est, ubi Troia fuit, rescendaque falce	
luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus;	

semisepulta virum curvis feriuntur aratris 55  
 ossa, ruinosas occulit herba domos;  
 victor abes, nec scire mihi, quae causa morandi  
 aut in quo lateas ferreus orbe, licet.  
 Quisquis ad haec vertit peregrinam litora puppim,  
 ille mihi de te multa rogatus abit; 60  
 quamque tibi reddat, si te modo viderit usquam,  
 traditur huic digitis charta notata meis.  
 Nos Pylon, antiqui Neleia Nestoris arva,  
 misimus; incerta est fama remissa Pylo;  
 misimus et Sparten: Sparte quoque nescia veri. 65  
 Quas habitas terras aut ubi lensus abes?  
 Utilius starent etiam nunc moenia Phoebi;  
 irascor votis heu levis ipsa meis!  
 Scirem ubi pugnares et tantum bella timerem  
 et mea cum multis iuncta querela foret. 70  
 Quid timeam ignoro; timeo tamen omnia demens  
 et patet in curas area lata meas.  
 Quaecumque aequor habet quaecumque pericula tellus,  
 tam longae causas suspicor esse morae.  
 Haec ego dum stulte meditor, quae vestra libido est, 75  
 esse peregrino captus amore potes.  
 Forsitan et narres, quam sit tibi rustica coniunx,  
 quae tantum lanas non sinat esse rudes.  
 Fallar et hoc crimen tenues vanescat in auras  
 neve revertendi liber abesse velis. 80  
 Me pater Icarius viduo discedere lecto  
 cogit et immensas increpat usque moras.  
 Increpat usque licet! Tua sum, tua dicar oportet;  
 Penelope coniunx semper Ulixis ero.  
 Ille tamen pietate mea precibus pudicis 85  
 frangitur et vires temperat ipse suas.  
 Dulchii Samiique et quos tulit alta Zacynthos  
 turba ruunt in me luxuriosa proci  
 inque tua regnant nullis prohibentibus aula;

viscera nostra, tuae dilacerantur opes.	90
Quid tibi Pisandrum Polybumque Medontaque dirum Eurymachique avidas Antinoique manus atque alios referam, quos omnes turpiter absens ipse tuo partis sanguine rebus alis?	
Irus egens pecorisque Melanthius actor edendi ultimus accedunt in tua damna pudor.	95
Tres sumus imbelles numero: sine viribus uxor Laertesque senex Telemachusque puer.	
Ille per insidias paene est mihi nuper ademptus, dum parat invitis omnibus ire Pylon.	100
Di, precor, hoc iubeant, ut euntibus ordine fatis ille meos oculos comprimat, ille tuos!	
†Haec† faciunt custosque boum longaevaque nutrix, tertius immundae cura fidelis harae.	
Sed neque Laertes, ut qui sit inutilis annis, hostibus in mediis regna tenere potest.	105
Telemacho veniet, vivat modo, fortior aetas; nunc erat auxiliis illa tuenda patris.	
Nec mihi sunt vires inimicos pellere tectis; tu citius venias, portus et ara tuis!	110
Est tibi, sitque precor natus, qui mollibus annis in patrias artes erudiendus erat.	
Respice Laerten: ut iam sua lumina condas, extremum fati sustinet ille diem.	
Certe ego, quae fueram te discedente puella, protinus ut venias, facta videbor anus.	115

**Vorlesung FS 09**  
**Ovid**  
**3. Kollegstunde (05.03.09)**  
*Ars amatoria*  
**1. Wie lernt man lieben?**  
**2. Die Römer als Anfänger: Der Raub der Sabinerinnen**

Texte:

1. Ov. *ars* 1, 1-34
2. Ov. *ars* 1, 101-130
3. Ov. *met.* 14, 775-804
4. Liv. 1, 9

**Text 1:** Ov. *ars* 1, 1-40 (ed. Kenney, 1989 (OCT))

Si quis in hoc artem populo non novit amandi,  
 hoc legat et lecto carmine doctus amet.  
 arte citae veloque rates remoque moventur,  
 arte leves currus: arte regendus Amor.  
 curribus Automedon lentisque erat aptus habenis, 5  
 Tiphys in Haemonia puppe magister erat:  
 me Venus artificem tenero praefecit Amori;  
 Tiphys et Automedon dicar Amoris ego.  
 ille quidem ferus est et qui mihi saepe repugnet;  
 sed puer est, aetas mollis et apta regi. 10  
 Phillyrides puerum cithara perfecit Achillem  
 atque animos placida contudit arte feros.  
 qui totiens socios, totiens exterruit hostes,  
 creditur annosum pertimuisse senem;  
 quas Hector sensurus erat, poscente magistro 15  
 verberibus iussas praebuit ille manus.  
 Aeacidae Chiron, ego sum praeceptor Amoris;  
 saevus uterque puer, natus uterque dea.  
 sed tamen et tauri cervix oneratur aratro,  
 frenaque magnanimi dente teruntur equi: 20  
 et mihi cedet Amor, quamvis mea vulneret arcu  
 pectora, iactatas excutiatque faces;  
 quo me fixit Amor, quo me violentius ussit,  
 hoc melior facti vulneris ultor ero.  
 non ego, Phoebe, datas a te mihi mentiar artes, 25

nec nos aeriae voce monemur avis,  
 nec mihi sunt visae Clio Clusque sorores  
     servanti pecudes vallibus, Ascra, tuis;  
 usus opus movet hoc: vati parete perito;  
     vera canam. coeptis, mater Amoris, ades.         30  
 este procul, vittae tenues, insigne pudoris,  
     quaeque tegis medios instita longa pedes:  
 nos Venerem tutam concessaque fulta canemus  
     inque meo nullum carmine crimen erit.  
 Principio, quod amare velis, reperire labora,         35  
     qui nova nunc primum miles in arma venis;  
 proximus huic labor est placitam exorare puellam;  
     tertius, ut longo tempore duret amor.  
 hic modus; haec nostro signabitur area curru;  
     haec erit admissa meta premenda rota.         40

**Text 2:** Ov. *ars* 1, 101-129 (ed. Kenney, 1989 (OCT))

Primus sollicitos fecisti, Romule, ludos,  
     cum iuvit viduos rapta Sabina viros.  
 tunc neque marmoreo pendebant vela theatro,  
     nec fuerant liquido pulpita rubra croco;  
 illic quas tulerant nemorosa Palatia frondes         105  
     simpliciter positae scena sine arte fuit;  
 in gradibus sedit populus de caespite factis,  
     qualibet hirsutas fronde tegente comas.  
 respiciunt oculisque notant sibi quisque puellam  
     quam velit, et tacito pectore multa movent.         110  
 dumque rudem praebente modum tibicine Tusco  
     ludius aequatam ter pede pulsat humum,  
 in medio plausu (plausus tunc arte carebant)  
     rex populo praedae signa †petenda† dedit.  
 protinus exiliunt animum clamore fatentes         115  
     virginibus cupidas iniciuntque manus;  
 ut fugiunt aquilas, timidissima turba, columbae  
     utque fugit visos agna novella lupos,

sic illae timuere viros sine lege ruentes;  
 constitit in nulla qui fuit ante color. 120  
 nam timor unus erat, facies non una timoris:  
 pars laniat crines, pars sine mente sedet;  
 altera maesta silet, frustra vocat altera matrem;  
 haec queritur, stupet haec; haec manet, illa fugit.  
 ducuntur raptae, genialis praeda, puellae, 125  
 et potuit multas ipse decere timor.  
 si qua repugnarat nimium comitemque negarat,  
 sublatam cupido vir tulit ipse sinu  
 atque ita ‘quid teneros lacrimis corrumpis ocellos?’

**Text 3:** Ov. *met.* 14, 775-804 (ed. Anderson, 1977 (Teubner))

[...]	Tatiusque patresque Sabini	775
	bella gerunt, arcisque via Tarpeia reclusa	
	dignam animam poena congestis exuit armis.	
	Inde sati Curibus tacitorum more luporum	
	ore premunt voces et corpora victa sopore	
	invadunt portasque petunt, quas obice firmo	780
	clauserat Iliades; unam tamen ipse reclusit	
	nec strepitum verso Saturnia cardine fecit.	
	sola Venus portae cecidisse repagula sensit	
	et clausura fuit, nisi quod rescindere numquam	
	dis licet acta deum; Iano loca iuncta tenebant	785
	naides Ausoniae gelido rorantia fonte:	
	has rogat auxilium, nec nymphae iusta petentem	
	sustinuere deam venasque et flumina fontis	
	elicuere sui; nondum tamen invia Iani	
	ora patentis erant, neque iter praecluserat unda:	790
	lurida supponunt fecundo sulphura fonti	
	incenduntque cavas fumante bitumine venas.	
	viribus his aliisque vapor penetravit ad ima	
	fontis et, Alpino modo quae certare rigori	
	audebatis aquae, non ceditis ignibus ipsis!	795
	flammifera gemini fumant aspergine postes,	

portaque neququam rigidis promissa Sabinis  
fonte fuit praestructa novo, dum Martius arma  
indueret miles: quae postquam Romulus ultro  
obtulit, et strata est tellus Romana Sabinis  
corporibus strata estque suis, generique cruentem  
sanguine cum socii permiscuit inpius ensis,  
pace tamen sisti bellum nec in ultima tantum  
decertare placet Tatiumque excedere regno.

**Text 4:** Liv. 1, 9 (ed. Ogilvie, 1974 (OCT))

Iam res Romana adeo erat valida ut cuilibet finitimarum civitatum bello par esset; sed penuria mulierum hominis aetatem duratura magnitudo erat, quippe quibus nec domi spes prolis nec cum finitimis conubia essent. Tum ex consilio patrum Romulus legatos circa vicinas gentes misit qui societatem conubiumque novo populo peterent: urbes quoque, ut cetera, ex infimo nasci; dein, quas sua virtus ac di iuvent, magnas opes sibi magnumque nomen facere; satis scire, origini Romanae et deos adfuisse et non defuturam virtutem; proinde ne gravarentur homines cum hominibus sanguinem ac genus miscere. Nusquam benigne legatio audita est: adeo simul spernebant, simul tantam in medio crescentem molem sibi ac posteris suis metuebant. Ac plerisque rogitantibus dimissi ecquod feminis quoque asylum aperuissent; id enim demum compar conubium fore. Aegre id Romana pubes passa et haud dubie ad vim spectare res coepit. Cui tempus locumque aptum ut daret Romulus aegritudinem animi dissimulans ludos ex industria parat Neptuno equestri sollemnes; Consualia vocat. Indici deinde finitimis spectaculum iubet; quantoque apparatu tum sciebant aut poterant, concelebrant ut rem claram exspectatamque facerent. Multi mortales convenere, studio etiam videndae novae urbis, maxime proximi quique, Caeninenses, Crustumini, Antemnates; iam Sabinorum omnis multitudo cum liberis ac coniugibus venit. Invitati hospitaliter per domos cum situm moeniaque et frequentem tectis urbem vidissent, mirantur tam brevi rem Romanam crevisse. Ubi spectaculi tempus venit deditaeque eo mentes cum oculis erant, tum ex composito orta vis signoque dato iuventus Romana ad rapiendas virgines discurrit. Magna pars forte in quem quaeque inciderat raptae: quasdam forma excellentes, primoribus patrum destinatas, ex plebe homines quibus datum negotium erat domos deferebant. Unam longe ante alias specie ac pulchritudine insignem a globo Thalassi cuiusdam raptam ferunt multisque sciscitantibus cuinam eam ferrent, identidem ne quis violaret Thalassio ferri clamitatum; inde nuptialem hanc vocem factam.

Turbato per metum ludicro maesti parentes virginum profugunt, incusantes violati hospitii foedus deumque invocantes cuius ad sollempne ludosque per fas ac fidem decepti venissent. Nec

raptis aut spes de se melior aut indignatio est minor. Sed ipse Romulus circumibat docebatque patrum id superbia factum qui conubium finitimis negassent; illas tamen in matrimonio, in societate fortunarum omnium civitatisque et quo nihil carius humano generi sit liberum fore; mollirent modo iras et, quibus fors corpora dedisset, darent animos; saepe ex iniuria postmodum gratiam ortam; eoque melioribus usuras viris quod adnisurus pro se quisque sit ut, cum suam vicem functus officio sit, parentium etiam patriaeque expleat desiderium. Accedebant blanditiae virorum, factum purgantium cupiditate atque amore, quae maxime ad muliebre ingenium efficaces preces sunt.

**Vorlesung FS 09**  
**Ovid**  
**4. Kollegstunde (12.03.09)**  
*Remedia amoris*  
**1. Tipps gegen Liebeskummer: Dichtung als Lebenshilfe**  
**2. Literarische Selbsteinordnung des Dichters**

Texte: 1. Ov. *rem.* 44-78  
 2. Ov. *rem.* 356-396

**Text 1:** Ov. *rem.* 44-78 (ed. Kenney, 1989 (OCT))

Una manus vobis vulnus opemque feret.	
terra salutares herbas eademque nocentes	45
nutrit, et urticae proxima saepe rosa est;	
vulnus in Herculeo quae quondam fecerat hoste,	
vulneris auxilium Pelias hasta tulit.	
(sed, quaecumque viris, vobis quoque dicta, puellae,	
credite: diversis partibus arma damus.	50
e quibus ad vestros si quid non pertinet usus,	
at tamen exemplo multa docere potest.)	
utile propositum est saevas extinguere flamas	
nec servum vitii pectus habere sui.	
vixisset Phyllis, si me foret usa magistro,	55
et per quod novies, saepius isset iter.	
nec moriens Dido summa vidisset ab arce	
Dardanias vento vela dedisse rates	
nec dolor armasset contra sua viscera matrem,	
quae socii damno sanguinis ulta virum est.	60
arte mea Tereus, quamvis Philomela placeret,	
per facinus fieri non meruisset avis.	
da mihi Pasiphaen, iam tauri ponet amorem;	
da Phaedram, Phaedrae turpis abbit amor.	
redde Parin nobis, Helenen Menelaus habebit	65
nec manibus Danais Pergama victa cadent.	
impia si nostros legisset Scylla libellos,	
haesisset capiti purpura, Nise, tuo.	
me duce damnosas, homines, conpescite curas	
rectaque cum sociis me duce navis eat.	70

Naso legendus erat tum cum didicistis amare;  
 idem nunc vobis Naso legendus erit.  
 publicus assertor dominis suppressa levabo  
 pectora: vindictae quisque favete suae.  
 te precor incipiens adsit tua laurea nobis, 75  
 carminis et medicae, Phoebe, repertor opis.  
 tu pariter vati, pariter succurre medenti:  
 utraque tutelae subdita cura tua est.

**Text 2:** Ov. *rem.* 356-396 (ed. Kenney, 1978 (OCT))

Non semel hinc stomacho nausea facta meo est.  
 nunc tibi, quae medio Veneris praestemus in usu,  
 eloquar: ex omni est parte fugandus Amor.  
 multa quidem ex illis pudor est mihi dicere, sed tu  
 ingenio verbis concipe plura meis. 360  
 nuper enim nostros quidam carpsere libellos,  
 quorum censura Musa proterva mea est.  
 dummodo sic placeam, dum toto canter in orbe,  
 qui volet, inpugnent unus et alter opus.  
 ingenium magni livor detractat Homeri; 365  
 quisquis es, ex illo, Zoile, nomen habes.  
 et tua sacrilegæ laniarunt carmina linguae,  
 pertulit huc victos quo duce Troia deos.  
 summa petit livor: perflant altissima venti,  
 summa petunt dextra fulmina missa Iovis. 370  
 at tu, quicumque es, quem nostra licentia laedit,  
 si sapiis, ad numeros exige quidque suos.  
 fortia Maeonio gaudent pede bella referri:  
 deliciis illic quis locus esse potest?  
 grande sonant tragici: tragicos decet ira cothurnos; 375  
 usibus e mediis soccus habendus erit.  
 liber in adversos hostes stringatur iambus,  
 seu celer, extremum seu trahat ille pedem.  
 blanda pharetratos Elegia cantet Amores  
 et levis arbitrio ludat amica suo. 380

Callimachi numeris non est dicendus Achilles;  
 Cydippe non est oris, Homere, tui.  
 quis feret Andromaches peragentem Thaida partes?  
 peccet, in Andromache Thaida quisquis agat.  
 Thais in arte mea est: lascivia libera nostra est;                   385  
 nil mihi cum vitta; Thais in arte mea est.  
 si mea materiae respondet Musa iocosae,  
 vicimus, et falsi criminis acta rea est.  
 rumpere, Livor edax: magnum iam nomen habemus;  
 maius erit, tantum, quo pede coepit, eat.                           390  
 sed nimium properas: vivam modo, plura dolebis,  
 et capiunt anni carmina multa mei.  
 nam iuvat et studium famae mihi crevit honore;  
 principio clivi noster anhelat equus.  
 tantum se nobis elegi debere fatentur,                           395  
 quantum Vergilio nobile debet epos.

**Vorlesung FS 09****Ovid****5. Kollegstunde (19.03.09)***Die Metamorphosen***1. Prima ab origine mundi ad mea tempora: Von Griechenland nach Rom****2. Welt und Ordnung**

Texte: 1. Ov. *met.* 1, 1-88  
 2. Ov. *met.* 1, 89-150

**Text 1:** Ov. *met.* 1, 1-88 (ed. Anderson, 1977 (Teubner))

In nova fert animus mutatas dicere formas  
 corpora; di, coeptis (nam vos mutastis et illas)  
 adspirate meis primaque ab origine mundi  
 ad mea perpetuum deducite tempora carmen!

Ante mare et terras et, quod tegit omnia, caelum                    5  
 unus erat toto naturae vultus in orbe,  
 quem dixere Chaos, rudis indigestaque moles  
 nec quicquam nisi pondus iners congestaque eodem  
 non bene iunctarum discordia semina rerum.  
 nullus adhuc mundo praebebat lumina Titan,                    10  
 nec nova crescendo reparabat cornua Phoebe,  
 nec circumfuso pendebat in aëre tellus  
 ponderibus librata suis, nec bracchia longo  
 margine terrarum porrexerat Amphitrite,  
 utque erat et tellus illic et pontus et aér,                    15  
 sic erat instabilis tellus, innabilis unda,  
 lucis egens aér: nulli sua forma manebat,  
 obstabatque aliis aliud, quia corpore in uno  
 frigida pugnabant calidis, umentia siccis,  
 mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.                    20

Hanc deus et melior litem natura diremit;  
 nam caelo terras et terris abscidit undas  
 et liquidum spisso secrevit ab aëre caelum;  
 quae postquam evolvit caecoque exemit acervo,  
 dissociata locis concordi pace ligavit.                            25  
 ignea convexi vis et sine pondere caeli  
 emicuit summaque locum sibi fecit in arce;

proximus est aër illi levitate locoque,  
densior his tellus elementaque grandia traxit  
et pressa est gravitate sua; circumfluus umor  
ultima possedit solidumque coercuit orbem. 30

Sic ubi dispositam quisquis fuit ille deorum,  
congeriem secuit sectamque in membra redegit,  
principio terram, ne non aequalis ab omni  
parte foret, magni speciem glomeravit in orbis;  
tum freta diffudit rapidisque tumescere ventis  
iussit et ambitae circumdare litora terrae.  
addidit et fontes et stagna immensa lacusque  
fluminaque obliquis cinxit declivia ripis,  
quae, diversa locis partim sorbentur ab ipsa,  
in mare pervenient partim campoque recepta  
liberioris aquae pro ripis litora pulsant.  
iussit et extendi campos, subsidere valles,  
fronde tegi silvas, lapidosos surgere montes;  
utque duae dextra caelum totidemque sinistra  
parte secant zonae, quinta est ardenter illis,  
sic onus inclusum numero distinxit eodem  
cura dei, totidemque plagae tellure premuntur.  
quarum quae media est, non est habitabilis aestu;  
nix tegit alta duas: totidem inter utrumque locavit  
temperiemque dedit mixta cum frigore flamma.  
inminet his aër; qui, quanto est pondere terrae,  
pondere aquae levior, tanto est onerosior igni.  
illic et nebulas, illic consistere nubes  
iussit et humanas motura tonitrua mentes  
et cum fulminibus facientes fulgora ventos.  
his quoque non passim mundi fabricator habendum  
aëra permisit; vix nunc obsistitur illis,  
cum sua quisque regant diverso flamina tractu,  
quin lanient mundum: tanta est discordia fratrum.  
Eurus ad Auroram Nabataeaque regna recessit  
Persidaque et radiis iuga subdita matutinis;  
vesper et occiduo quae litora sole tepescunt

proxima sunt Zephyro; Scythiam septemque triones  
horrifer invasit Boreas; contraria tellus                    65  
nubibus adsiduis pluviaque madescit ab Austro.  
haec super inpositum liquidum et gravitate carentem  
aethera nec quicquam terrenae faecis habentem.

Vix ita limitibus dissaeperat omnia certis,  
cum, quae pressa diu fuerant caligine caeca,  
70  
sidera coeperunt toto effervescere caelo;  
neu regio foret ulla suis animalibus orba,  
astra tenent caeleste solum formaeque deorum,  
cesserunt nitidis habitandae piscibus undae,  
terra feras cepit, volucres agitabilis aér.  
75

Sanctius his animal mentisque capacius altae  
deerat adhuc et quod dominari in cetera posset:  
natus homo est, sive hunc divino semine fecit  
ille opifex rerum, mundi melioris origo,  
sive recens tellus seductaque nuper ab alto  
aethere cognati retinebat semina caeli;  
quam satus Iapeto mixtam pluvialibus undis  
finxit in effigiem moderantum cuncta deorum,  
pronaque cum spectent animalia cetera terram,  
os homini sublime dedit caelumque videre  
iussit et erectos ad sidera tollere vultus.  
sic, modo quae fuerat rudis et sine imagine, tellus  
induit ignotas hominum conversa figuram.

**Text 2:** Ov. *met.* 1, 89-150 (ed. Anderson, 1977 (Teubner))

Aurea prima sata est aetas, quae vindice nullo,  
sponte sua, sine lege fidem rectumque colebat. 90  
  
poena metusque aberant nec verba minantia fixo  
aere legebantur nec supplex turba timebat  
iudicis ora sui, sed erant sine vindice tuti.  
  
nondum caesa suis, peregrinum ut viseret orbem,  
montibus in liquidas pinus descenderat undas,  
nullaque mortales praeter sua litora norant. 95

nondum praecipites cingebant oppida fossae,  
 non tuba directi, non aeris cornua flexi,  
 non galeae, non ensis erat: sine militis usu  
 mollia securae peragebant otia gentes. 100

ipsa quoque inmunis rastroque intacta nec ullis  
 saucia vomeribus per se dabat omnia tellus,  
 contentique cibis nullo cogente creatis  
 arbuteos fetus montanaque fraga legebant  
 cornaque et in duris haerentia mora rubetis 105  
 et, quae deciderant patula Iovis arbore, glandes.  
 Ver erat aeternum, placidique tepentibus auris  
 mulcebant Zephyri natos sine semine flores;  
 mox etiam fruges tellus inarata ferebat,  
 nec renovatus ager gravidis canebat aristis: 110  
 flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant,  
 flavaque de viridi stillabant ilice mella.

Postquam Saturno tenebrosa in Tartara misso  
 sub Iove mundus erat, subiit argentea proles,  
 auro deterior, fulvo pretiosior aere. 115

Iuppiter antiqui contraxit tempora veris,  
 perque hiemes aestusque et inaequalis autumnos  
 et breve ver spatiis exegit quattuor annum.  
 tum primum siccis aër fervoribus ustus  
 conduit, et ventis glacies adstricta pependit; 120  
 tum primum subiere domos: domus antra fuerunt  
 et densi frutices et vinctae cortice virgae;  
 semina tum primum longis Cerealia sulcis  
 obruta sunt, pressique iugo gemuere iuvenci.

Tertia post illam successit aenea proles,  
 saevior ingeniis et ad horrida promptior arma,  
 non scelerata tamen; de duro est ultima ferro.  
 protinus inrupit venae peioris in aevum  
 omne nefas, fugere pudor verumque fidesque; 125  
 in quorum subiere locum fraudesque dolique  
 insidiaequa et vis et amor sceleratus habendi.  
 vela dabat ventis nec adhuc bene noverat illos

navita, quaeque diu steterant in montibus altis,  
fluctibus ignotis insultavere carinae,  
communemque prius ceu lumina solis et auras  
cautus humum longo signavit limite mensor. 135  
nec tantum segetes alimentaque debita dives  
poscebatur humus, sed itum est in viscera terrae,  
quasque recondiderat Stygiisque admoverat umbris,  
effodiuntur opes, irritamenta malorum; 140  
iamque nocens ferrum ferroque nocentius aurum  
prodierat, prodit bellum, quod pugnat utroque,  
sanguineaque manu crepitantia concutit arma.  
vivitur ex rapto; non hospes ab hospite tutus,  
non socer a genero, fratrum quoque gratia rara est. 145  
inminet exitio vir coniugis, illa mariti;  
lurida terribiles miscent aconita novercae;  
filius ante diem patrios inquirit in annos.  
victa iacet pietas, et Virgo caede madentes  
ultima caelestum, terras Astraea reliquit. 150

**Vorlesung FS 09**  
**Ovid**  
**6. Kollegstunde (26.03.09)**  
**Im Haus der Fama: Ovid und die literarische Tradition**

Texte: 1. Ov. *met*, 12, 39-145  
 2. Ov. *ars* 2, 123-144

**Text 1:** Ov. *met.* 12, 39-145 (ed. Anderson, 1977 (Teubner))

Orbe locus medio est inter terrasque fretumque  
 caelestesque plagas, triplicis confinia mundi; 40  
 unde, quod est usquam, quamvis regionibus absit,  
 inspicitur, penetratque cavas vox omnis ad aures.  
 Fama tenet summaque domum sibi legit in arce  
 innumerosque aditus ac mille foramina tectis  
 addidit et nullis inclusit limina portis: 45  
 nocte dieque patet; tota est ex aere sonanti,  
 tota fremit vocesque refert iteratque, quod audit.  
 nulla quies intus nullaque silentia parte,  
 nec tamen est clamor, sed parvae murmura vocis,  
 qualia de pelagi, si quis procul audiat, undis 50  
 esse solent, qualemve sonum, cum Iuppiter atras  
 increpuit nubes, extrema tonitrua reddunt.  
 atria turba tenet: veniunt, leve vulgus, euntque  
 mixtaque cum veris passim commenta vagantur  
 milia rumorum confusaque verba volant. 55  
 e quibus hi vacuas implent sermonibus aures,  
 hi narrata ferunt alio, mensuraque ficti  
 crescit, et auditis aliquid novus adicit auctor.  
 illic Credulitas, illic temerarius Error  
 vanaque Laetitia est consternatique Timores 60  
 Seditioque repens dubioque auctore Susurri.  
 ipsa, quid in caelo rerum pelagoque geratur  
 et tellure, videt totumque inquirit in orbem.  
 Fecerat haec notum Graias cum milite forti  
 adventare rates, neque inexspectatus in armis 65

hostis adest: prohibent aditus litusque tuentur  
 Troes, et Hectorea primus fataliter hasta,  
 Protesilae, cadis, commissaque proelia magno  
 stant Danais, fortisque animae nece cognitus Hector;  
 nec Phryges exiguo, quid Achaica dextera posset, 70  
 sanguine senserunt. et iam Sigea rubebant  
 litora, iam leto proles Neptunia Cygnus  
 mille viros dederat, iam currus stabat Achillis  
 totaque Peliacae sternebat cuspidis ictu  
 agmina perque acies aut Cynum aut Hectora quaerens 75  
 congregitur Cygno (decimum dilatus in annum  
 Hector erat): tum colla iugo canentia pressos  
 exhortatus equos currum direxit in hostem  
 concutiensque suis vibrantia tela lacertis  
 ‘quisquis es, o iuvenis,’ dixit ‘solamen habeto  
 mortis, ab Haemonio quod sis iugulatus Achille.’ 80  
 hactenus Aeacides, vocem gravis hasta secuta est,  
 sed quamquam certa nullus fuit error in hasta,  
 nil tamen emissi profecit acumine ferri;  
 utque hebeti pectus tantummodo contudit ictu, 85  
 ‘nate dea, nam te fama praenovimus,’ inquit  
 ille, ‘quid a nobis vulnus miraris abesse?’  
 (mirabatur enim) ‘non haec, quam cernis, equinis  
 fulva iubis cassis neque onus cava parma sinistram  
 auxilio mihi sunt: decor est quaesitus ab istis. 90  
 Mars quoque ob hoc capere arma solet. removebitur omne  
 tegminis officium, tamen indestructus abibo.  
 est aliquid non esse satum Nereide, sed qui  
 Nereaque et natas et totum temperat aequor.’  
 dixit et haesurum clipei curvamine telum 95  
 misit in Aeaciden, quod et aes et proxima rupit  
 terga novena boum, decimo tamen orbe moratum est.  
 excutit hoc heros rursusque trementia forti  
 tela manu torsit: rursus sine vulnere corpus  
 sincerumque fuit. nec tertia cuspis apertum 100

et se praebentem valuit destringere Cynum.  
 haud secus exarsit, quam circo taurus aperto,  
 cum sua terribili petit inritamina cornu,  
 poeniceas vestes, elusaque vulnera sentit.

num tamen exciderit ferrum considerat hastae: 105  
 haerebat ligno. ‘manus est mea debilis ergo,  
 quasque’ ait ‘ante habuit vires, effudit in uno?  
 nam certe valuit, vel cum Lyrnesia primum  
 moenia deieci vel cum Tenedonque suoque  
 Eetioneas inplevi sanguine Thebas, 110  
 vel cum purpureus populari caede Caicus  
 fluxit opusque meae bis sensit Telephus hastae.  
 hic quoque tot caesis, quorum per litus acervos  
 et feci et video, valuit mea dextra valetque.’  
 dixit et, ante actis veluti male crederet, hastam 115  
 misit in adversum Lycia de plebe Menoeten  
 loricamque simul subiectaque pectora rupit;  
 quo plangente gravem moribundo pectore terram  
 extrahit illud idem calido de vulnere telum  
 atque ait: ‘haec manus est, haec, qua modo vicimus, hasta: 120  
 utar in hoc isdem, sit in hoc, precor, exitus idem!’  
 sic fatur Cynumque petit, nec fraxinus errat  
 inque umero sonuit non evitata sinistro;  
 inde velut muro solidaque a caute repulsa est.

qua tamen ictus erat, signatum sanguine Cynum 125  
 viderat et frustra fuerat gravibus Achilles:  
 vulnus erat nullum, sanguis fuit ille Menoetae.  
 tum vero praeceps curru fremebundus ab alto  
 desilit et nitido securum comminus hostem  
 ense petens parvam gladio galeamque cavari  
 cernit et in duro laedi quoque corpore ferrum. 130  
 haud tulit ulterius clipeoque adversa reducto  
 ter quater ora viri, capulo cava tempora pulsat  
 cedentique sequens instat turbatque ruitque  
 attonitoque negat requiem: pavor occupat illum, 135

ante oculosque natant tenebrae retroque ferenti  
aversos passus medio lapsis obstitit arvo;  
quem super impulsum resupino corpore Cynum  
vi multa vertit terraeque adflxit Achilles.  
tum clipeo genibusque premens praecordia duris      140  
vincla trahit galeae, quae presso subdita mento  
elidunt fauces et respiramen iterque  
eripiunt animae. victum spoliare parabat;  
arma relicta videt: corpus deus aequoris albam  
contulit in volucrem, cuius modo nomen habebat.      145

**Text 2:** Ov. *ars 2*, 123-144 (ed. Kenney, 1989 (OCT))

Non formosus erat, sed erat facundus Ulixes,  
et tamen aequoreas torsit amore deas.  
o quotiens illum doluit properare Calypso      125  
remigioque aptas esse negavit aquas!  
haec Troiae casus iterumque iterumque rogabat;  
ille referre aliter saepe solebat idem.  
litore constiterant; illic quoque pulchra Calypso  
exigit Odrysii fata cruenta ducis.      130  
ille levi virga (virgam nam forte tenebat),  
quod rogat, in spisso litore pingit opus.  
‘haec’ inquit ‘Troia est’ (muros in litore fecit),  
‘hic tibi sit Simois; haec mea castra puta.  
campus erat’ (campumque facit), ‘quem caede Dolonis      135  
sparsimus, Haemonios dum vigil optat equos.  
illic Sithonii fuerant tentoria Rhesi;  
hac ego sum captis nocte revectus equis—’  
pluraque pingebat, subitus cum Pergama fluctus  
abstulit et Rhesi cum duce castra suo;      140  
tum dea ‘quas’ inquit ‘fidas tibi credis ituro,  
perdiderint undae nomina quanta, vides?’  
ergo age, fallaci timide confide figurae,  
quisquis es, aut aliquid corpore pluris habe.

**Vorlesung FS 09**  
**Ovid**  
**7. Kollegstunde (02.04.09)**  
**Detailinterpretationen**  
**1. Apollo und Daphne**  
**2. Die Ermordung und Vergöttlichung Caesars**

Texte: 1. Ov. *met.* 1, 452-567  
 2. Ov. *met.* 15, 799-870  
 3. Verg. *Aen.* 8, 617-629

**Text 1:** Ov. *met.* 1, 452-567 (ed. Anderson, 1977 (Teubner))

Primus amor Phoebi Daphne Peneia: quem non  
 fors ignara dedit, sed saeva Cupidinis ira.  
  
 Delius hunc nuper, victo serpente superbus,  
 viderat adducto flectentem cornua nervo                          455  
 ‘quid’ que ‘tibi, lascive puer, cum fortibus armis?’  
 dixerat, ‘ista decent umeros gestamina nostros,  
 qui dare certa ferae, dare vulnera possumus hosti,  
 qui modo pestifero tot iugera ventre prementem  
 stravimus innumeris tumidum Pythona sagittis.                  460  
  
 tu face nescio quos esto contentus amores  
 irritare tua nec laudes adsere nostras.’  
  
 filius huic Veneris ‘figat tuus omnia, Phoebe,  
 te meus arcus’ ait, ‘quantoque animalia cedunt  
 cuncta deo, tanto minor est tua gloria nostra.’                  465  
 dixit et eliso percussis aëre pennis  
 inpiger umbrosa Parnasi constitut arce  
 eque sagittifera prompsit duo tela pharetra  
 diversorum operum: fugat hoc, facit illud amorem;  
 quod facit, auratum est et cuspidé fulget acuta,                  470  
 quod fugat, obtusum est et habet sub harundine plumbum.  
  
 hoc deus in nymphā Peneide fixit, at illo  
 laesit Apollineas traeiecta per ossa medullas:  
 protinus alter amat, fugit altera nomen amantis  
 silvarum latebris captivarumque ferarum                          475  
 exuvii gaudens innuptaeque aemula Phoebes:

vitta coerced positos sine lege capillos.	
multi illam petiere, illa aversata petentes	
inpatiens expersque viri nemora avia lustrat	
nec, quid Hymen, quid Amor, quid sint conubia, curat.	480
saepe pater dixit ‘generum mihi, filia, debes’,	
saepe pater dixit ‘debes mihi, nata, nepotes’:	
illa velut crimen taedas exosa iugales	
pulchra verecundo suffuderat ora rubore	
inque patris blandis haerens cervice lacertis	485
‘da mihi perpetua, genitor carissime,’ dixit	
‘virginitate frui: dedit hoc pater ante Diana.’	
ille quidem obsequitur; sed te decor iste, quod optas,	
esse vetat, votoque tuo tua forma repugnat.	
Phoebus amat visaeque cupid conubia Daphnes,	490
quodque cupid, sperat, suaque illum oracula fallunt;	
utque leves stipulae demptis adolentur aristis,	
ut facibus saepes ardent, quas forte viator	
vel nimis admovit vel iam sub luce reliquit,	
sic deus in flamas abiit, sic pectore toto	495
uritur et sterilem sperando nutrit amorem.	
spectat inornatos collo pendere capillos	
et ‘quid, si comantur?’ ait; videt igne micantes	
sideribus similes oculos, videt oscula, quae non	
est vidisse satis; laudat digitosque manusque	500
bracchiaque et nudos media plus parte lacertos:	
siqua latent, meliora putat. fugit ocior aura	
illa levi neque ad haec revocantis verba resistit:	
‘Nympha, precor, Penei, mane! non insechor hostis;	
nympha, mane! sic agna lupum, sic cerva leonem,	505
sic aquilam penna fugiunt trepidante columbae,	
hostes quaeque suos: amor est mihi causa sequendi.	
me miserum! ne prona cadas indignave laedi	
crura notent sentes, et sim tibi causa doloris.	
aspera, qua properas, loca sunt: moderatius, oro,	510
curre fugamque inhibe: moderatius insecur ipse.	

- cui placeas, inquire tamen; non incola montis,  
 non ego sum pastor, non hic armenta gregesque  
 horridus observo. nescis, temeraria, nescis,  
 quem fugias, ideoque fugis. mihi Delphica tellus                                515  
 et Claros et Tenedos Patareaque regia servit;  
 Iuppiter est genitor. per me, quod eritque fuitque  
 estque, patet; per me concordant carmina nervis.  
 certa quidem nostra est, nostra tamen una sagitta  
 certior, in vacuo quae vulnera pectore fecit.                                        520  
 inventum medicina meum est, opiferque per orbem  
 dicor, et herbarum subiecta potentia nobis:  
 ei mihi, quod nullis amor est sanabilis herbis,  
 nec prosunt domino, quae prosunt omnibus, artes!'
- Plura locuturum timido Peneia cursu    525  
 fugit cumque ipso verba imperfecta reliquit,  
 tum quoque visa decens; nudabant corpora venti,  
 obviaque adversas vibrabant flamina vestes,  
 et levis impulsos retro dabat aura capillos,  
 auctaque forma fuga est. sed enim non sustinet ultra                                530  
 perdere blanditias iuvenis deus, utque monebat  
 ipse amor, admisso sequitur vestigia passu.  
 ut canis in vacuo leporem cum Gallicus arvo  
 vidiit, et hic praedam pedibus petit, ille salutem  
 (alter inhaesuro similis iam iamque tenere    535  
 sperat et extento stringit vestigia rostro;  
 alter in ambiguo est, an sit comprehensus, et ipsis  
 morsibus eripitur tangentiaque ora relinquunt):  
 sic deus et virgo; est hic spe celer, illa timore.  
 qui tamen insequitur, pennis adiutus amoris,                                        540  
 ocior est requiemque negat tergoque fugacis  
 inminet et crinem sparsum cervicibus adflat.  
 viribus absumptis expalluit illa citaeque  
 victa labore fugae ‘Tellus’, ait, ‘hisce vel istam,  
 [victae labore fugae, spectans Peneidas undas]                                        544a  
 quae facit ut laedar, mutando perde figuram!
- 545

fer, pater,’ inquit ‘opem, si flumina numen habetis!  
 qua nimium placui, mutando perde figuram!’ 547  
 [qua nimium placui, Tellus, ait, hisce vel istam] 547a  
 vix prece finita torpor gravis occupat artus:  
 mollia cinguntur tenui praecordia libro,  
 in frondem crines, in ramos bracchia crescent; 550  
 pes modo tam velox pigris radicibus haeret,  
 ora cacumen habet: remanet nitor unus in illa.  
 hanc quoque Phoebus amat positaque in stipite dextra  
 sentit adhuc trepidare novo sub cortice pectus  
 complexusque suis ramos, ut membra, lacertis 555  
 oscula dat ligno: refugit tamen oscula lignum.  
 cui deus ‘at quoniam coniunx mea non potes esse,  
 arbor eris certe’ dixit ‘mea. semper habebunt  
 te coma, te citharae, te nostrae, laure, pharetrae.  
 tu ducibus Latiis aderis, cum laeta Triumphum 560  
 vox canet et visent longas Capitolia pompas.  
 postibus Augustis eadem fidissima custos  
 ante fores stabis mediamque tuebere querum,  
 utque meum intonsis caput est iuvenale capillis,  
 tu quoque perpetuos semper gere frondis honores.’ 565  
 finierat Paean: factis modo laurea ramis  
 adnuit utque caput visa est agitasse cacumen.

**Text 2:** Ov. *met.* 15, 799-870 (ed. Anderson, 1977 (Teubner))

Non tamen insidias venturaque vincere fata  
 praemonitus potuere deum, strictique feruntur 800  
 in templum gladii; neque enim locus ullus in urbe  
 ad facinus diramque placet nisi curia caedem.  
 tum vero Cytherea manu percussit utraque  
 pectus et Aeneaden molitur condere nube,  
 qua prius infesto Paris est ereptus Atridae 805  
 et Diomedeos Aeneas fugerat enses.  
 talibus hanc genitor: ‘sola insuperabile fatum,

nata, movere paras? intres licet ipsa sororum  
 tecta trium: cernes illic molimine vasto  
 ex aere et solido rerum tabularia ferro, 810  
 quae neque concussum caeli neque fulminis iram  
 nec metuunt ulla tuta atque aeterna ruinas:  
 invenies illic incisa adamante perenni  
 fata tui generis. legi ipse animoque notavi  
 et referam, ne sis etiamnum ignara futuri. 815  
 hic sua complevit, pro quo, Cytherea, laboras,  
 tempora, perfectis, quos terrae debuit, annis.  
 ut deus accedat caelo templisque colatur,  
 tu facies natusque suus, qui nominis heres  
 inpositum feret unus onus caesique parentis 820  
 nos in bella suos fortissimus ultor habebit.  
 illius auspiciis obsessae moenia pacem  
 victa petent Mutinae, Pharsalia sentiet illum,  
 Emathiaque iterum madefient caede Philippi,  
 et magnum Siculis nomen superabitur undis, 825  
 Romanique ducis coniunx Aegyptia taedae  
 non bene fisa cadet, frustraque erit illa minata,  
 servitura suo Capitolia nostra Canopo.  
 quid tibi barbariem gentesque ab utroque iacentes  
 Oceano numerem? quodcumque habitabile tellus 830  
 sustinet, huius erit; pontus quoque serviet illi.  
 ‘pace data terris animum ad civilia vertet  
 iura suum legesque feret iustissimus auctor  
 exemploque suo mores reget inque futuri  
 temporis aetatem venturorumque nepotum 835  
 prospiciens prolem sancta de coniuge natam  
 ferre simul nomenque suum curasque iubebit  
 nec nisi cum †senior similes† aequaverit annos,  
 aetherias sedes cognataque sidera tanget.  
 hanc animam interea caeso de corpore raptam 840  
 fac iubar, ut semper Capitolia nostra forumque  
 divus ab excelsa prospectet Iulus aede.’

Vix ea fatus erat, media cum sede senatus  
constitit alma Venus nulli cernenda suique  
Caesaris eripuit membris nec in aëra solvi  
passa recentem animam caelestibus intulit astris,  
dumque tulit, lumen capere atque ignescere sensit  
emisitque sinu: luna volat altius illa  
flammiferumque trahens spatiioso limite crinem  
stella micat natique videns bene facta fatetur  
esse suis maiora et vinci gaudet ab illo. 850

Hic sua praeferri quamquam vetat acta paternis,  
libera fama tamen nullisque obnoxia iussis  
invitum praefert unaque in parte repugnat.  
sic magnus cedit titulis Agamemnonis Atreus,855  
Aegea sic Theseus, sic Pelea vicit Achilles,  
denique, ut exemplis ipsos aequantibus utar,  
sic et Saturnus minor est Iove: Iuppiter arces  
temperat aetherias et mundi regna triforis,  
terra sub Augusto est; pater est et rector uterque.860

Di, precor, Aeneae comites, quibus ensis et ignis  
cesserunt, dique Indigetes genitorque Quirine  
urbis et invicti genitor Gradive Quirini  
Vestaque Caesareos inter sacrata Penates  
et cum Caesarea tu, Phoebe domestice, Vesta,  
qui te tenes altus Tarpeias Iuppiter arces,  
quosque alios vati fas appellare piumque est:  
tarda sit illa dies et nostro senior aevo,  
qua caput Augustum, quem temperat, orbe relicto  
accedat caelo faveatque precantibus absens!

**Text 3:** Verg. *Aen.* 8, 617-629 (ed. Mynors, 1969 (OCT))

Ille deae donis et tanto laetus honore  
expleri nequit atque oculos per singula volvit,  
miraturque interque manus et bracchia versat  
terribilem cristis galeam flamasque vomentem, 620

fatiferumque ensem, loricam ex aere rigentem,  
sanguineam, ingentem, qualis cum caerula nubes  
solis inardescit radiis longeque refulget;  
tum levis ocreas electro auroque recocto,  
hastamque et clipei non enarrabile textum.       625  
illic res Italas Romanorumque triumphos  
haud vatum ignarus venturique inscius aevi  
fecerat ignipotens, illic genus omne futurae  
stirpis ab Ascanio pugnataque in ordine bella.

**Vorlesung FS 09**  
**Ovid**  
**8. Kollegstunde (09.04.09)**  
**Welt und Wandel versus *Roma aeterna***

Texte: 1. Ov. *met.* 15, 418-562  
 2. Verg. *Aen.* 1, 279-296

**Text 1:** Ov. *met.* 15, 418-452 (ed. Anderson, 1977 (Teubner))

Desinet ante dies et in alto Phoebus anhelos  
 aequore tinguet equos, quam consequar omnia verbis  
 in species translata novas: sic tempora verti                                  420  
 cernimus atque illas adsumere robora gentes,  
 concidere has; sic magna fuit censuque virisque,  
 perque decem potuit tantum dare sanguinis annos,  
 nunc humilis veteres tantummodo Troia ruinas  
 et pro divitiis tumulos ostendit avorum.    425  
 clara fuit Sparte, magnae viguere Mycenae,  
 nec non et Cecropis, nec non Amphionis arces:  
 vile solum Sparte est, altae cecidere Mycenae;  
 Oedipodioniae quid sunt, nisi nomina, Thebae?  
 quid Pandioniae restant, nisi nomen, Athenae?                                  430  
 nunc quoque Dardaniam fama est consurgere Romam,  
 Appenninigenae quae proxima Thybridis undis  
 mole sub ingenti rerum fundamina ponit.  
 haec igitur formam crescendo mutat et olim  
 immensi caput orbis erit. sic dicere vates    435  
 faticinasque ferunt sortes; quantumque recordor,  
 dixerat Aeneae, cum res Troiana labaret,  
 Priamides Helenos flenti dubioque salutis:  
 ‘nate dea, si nota satis praesagia nostrae  
 mentis habes, non tota cadet te sospite Troia:                                  440  
 flamma tibi ferrumque dabunt iter; ibis et una  
 Pergama rapta feres, donec Troiaeque tibique  
 externum patrio contingat amicius arvum.  
 urbem etiam cerno Phrygios debere nepotes,

quanta nec est nec erit nec visa prioribus annis. 445  
 hanc alii proceres per saecula longa potentem,  
 sed dominam rerum de sanguine natus Iuli  
 efficiet, quo cum tellus erit usa, fruentur  
 aetheriae sedes, caelumque erit exitus illi.'  
 haec Helenum cecinisse penatigero Aeneae 450  
 mente memor referto cognataque moenia laetor  
 crescere et utiliter Phrygibus viciisse Pelasgos.

**Text 2:** Verg. *Aen.* 1, 279-296 (ed. Mynors, 1969 (OCT))

Imperium sine fine dedi. quin aspera Iuno,  
 quae mare nunc terrasque metu caelumque fatigat, 280  
 consilia in melius referet, mecumque fovebit  
 Romanos, rerum dominos gentemque togatam.  
 sic placitum. veniet lustris labentibus aetas  
 cum domus Assaraci Pthiam clarasque Mycenas  
 servitio premet ac victis dominabitur Argis. 285  
 nasceretur pulchra Troianus origine Caesar,  
 imperium Oceano, famam qui terminet astris,  
 Iulius, a magno demissum nomen Iulo.  
 hunc tu olim caelo spoliis Orientis onustum  
 accipies secura; vocabitur hic quoque votis. 290  
 aspera tum positis mitescent saecula bellis:  
 cana Fides et Vesta, Remo cum fratre Quirinus  
 iura dabunt; dirae ferro et compagibus artis  
 claudentur Belli portae; Furor impius intus  
 saeva sedens super arma et centum vinctus aënis 295  
 post tergum nodis fremet horridus ore cruento.

**Vorlesung FS 09**  
**Ovid**  
**9. Kollegstunde (23.04.09)**  
**Erzählen und sterben lassen: Ovids Technik des Erzählens in der Erzählung**

Texte: 1. Ov. *met.* 11, 1-53

2. Ov. *met.* Epilogus

3. Ov. *am.* 1, 15

**Text:** Ov. *met.* 11, 1-53 (ed. Anderson, 1977 (Teubner))

Carmine dum tali silvas animosque ferarum  
 Threicius vates et saxa sequentia dicit,  
 ecce nurus Ciconum tectae lymphata ferinis  
 pectora velleribus tumuli de vertice cernunt  
 Orpheus percussis sociantem carmina nervis.                   5  
 e quibus una leves iactato crine per auras  
 ‘en’ ait ‘en, hic est nostri contemptor!’ et hastam  
 vatis Apollinei vocalia misit in ora,  
 quae foliis praesuta notam sine vulnere fecit;  
 alterius telum lapis est, qui missus in ipso                   10  
 aëre concentu victus vocisque lyraeque est  
 ac veluti supplex pro tam furialibus ausis  
 ante pedes iacuit. sed enim temeraria crescunt  
 bella, modusque abiit, insanaque regnat Eryns.  
 cunctaque tela forent cantu mollita, sed ingens               15  
 clamor et infracto Berecyntia tibia cornu  
 tympanaque et plausus et Bacchei ululatus  
 obstrepere sono citharae. tum denique saxa  
 non exauditi rubuerunt sanguine vatis.  
 ac primum attonitas etiamnum voce canentis               20  
 innumeras volucres anguesque agmenque ferarum  
 Maenades Orpheus titulum rapuere theatri.  
 inde cruentatis vertuntur in Orpheus dextris  
 et coeunt, ut aves, si quando luce vagantem  
 noctis avem cernunt, structoque utrimque theatro           25  
 ceu matutina cervus periturus harena  
 praeda canum est; vatemque petunt et fronde virentes

coniciunt thyrsos non haec in munera factos.  
 hae glaebas, illae direptos arbore ramos,  
 pars torquent silices; neu desint tela furori, 30  
 forte boves presso subigebant vomere terram,  
 nec procul hinc multo fructum sudore parantes  
 dura lacertosи fodiebant arva coloni;  
 agmine qui viso fugiunt operisque relinquunt  
 arma sui, vacuosque iacent dispersa per agros  
 sarculaque rastrique graves longique ligones. 35  
 quae postquam rapuere ferae cornuque minaci  
 divulsere boves, ad vatis fata recurrent  
 tendentemque manus atque illo tempore primum  
 irrita dicentem nec quicquam voce moventem  
 sacrilegae perimunt, perque os, pro Iuppiter, illud 40  
 auditum saxis intellectumque ferarum  
 sensibus in ventos anima exhalata recessit.  
 te maestae volucres, Orpheu, te turba ferarum,  
 te rigidi silices, tua carmina saepe secutae  
 45  
 fleverunt silvae; positis te frondibus arbor  
 tonsa comas luxit; lacrimis quoque flumina dicunt  
 increvisse suis, obstrusaque carbasa pullo  
 naides et dryades passosque habuere capillos.  
 membra iacent diversa locis, caput, Hebre, lyramque  
 50  
 excipis, et (mirum!), medio dum labitur amne,  
 flebile nescio quid queritur lyra, flebile lingua  
 murmurat exanimis, respondent flebile ripae.

**Text 2:** Ov. *met.* Epilogus (ed. Anderson, 1977 (Teubner))

Iamque opus exegi, quod nec Iovis ira nec ignes  
 nec poterit ferrum nec edax abolere vetustas.  
 cum volet, illa dies, quae nil nisi corporis huius  
 ius habet, incerti spatium mihi finiat aevi:  
 parte tamen meliore mei super alta perennis  
 875  
 astra ferar, nomenque erit indelebile nostrum,

quaque patet domitis Romana potentia terris,  
ore legar populi, perque omnia saecula fama,  
siquid habent veri vatum praesagia, vivam.

**Text 3:** Ov. *am.* 1, 15 (ed. Kenney, 1989 (OCT))

Quid mihi, Livor edax, ignavos obicis annos  
ingeniique vocas carmen inertis opus,  
non me more patrum, dum strenua sustinet aetas,  
praemia militiae pulverulenta sequi  
nec me verbosas leges ediscere nec me 5  
ingrato vocem prostituisse foro?  
mortale est, quod quaeris, opus; mihi fama perennis  
quaeritur, in toto semper ut orbe canar.  
vivet Maeonides, Tenedos dum stabit et Ide,  
dum rapidas Simois in mare volvet aquas; 10  
vivet et Ascreaus, dum mustis uva tumebit,  
dum cadet incurva falce resecta Ceres;  
Battiades semper toto cantabitur orbe:  
quamvis ingenio non valet, arte valet;  
nulla Sophocleo veniet iactura cothurno; 15  
cum sole et luna semper Aratus erit;  
dum fallax servus, durus pater, improba lena  
vivent et meretrix blanda, Menandros erit;  
Ennius arte carens animosique Accius oris  
casurum nullo tempore nomen habent; 20  
Varronem primamque ratem quae nesciet aetas  
aureaque Aesonio terga petita duci?  
carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti,  
exitio terras cum dabit una dies;  
Tityrus et fruges Aeneiaque arma legentur, 25  
Roma triumphati dum caput orbis erit;  
donec erunt ignes arcusque Cupidinis arma,  
discentur numeri, culte Tibulle, tui;  
Gallus et Hesperiis et Gallus notus Eois,

et sua cum Gallo nota Lycoris erit. 30  
ergo, cum silices, cum dens patientis aratri  
depereant aevo, carmina morte carent:  
cedant carminibus reges regumque triumphi,  
cedat et auriferi ripa benigna Tagi!  
vilia miretur vulgus; mihi flavus Apollo 35  
pocula Castalia plena ministret aqua,  
sustineamque coma metuentem frigora myrtum  
atque a sollicito multus amante legar.  
pascitur in vivis Livor; post fata quiescit,  
cum suus ex merito quemque tuetur honos: 40  
ergo etiam cum me supremus adederit ignis,  
vivam, parsque mei multa superstes erit.

**Vorlesung FS 09**  
**Ovid**  
**10. Kollegstunde (30.04.09)**  
**Im Schatten der Verbannung**  
**Gedichtete Zeit: Ovids Kalenderkommentar**

Texte: 1. Ov. *fast.* 1, 1-62

**Text 1:** Ov. *fast.* 1, 1-62 (ed. Alton et. al., 1978 (Teubner))

Tempora cum causis Latium digesta per annum  
 lapsaque sub terras ortaque signa canam.  
 excipe pacato, Caesar Germanice, voltu  
 hoc opus et timidae derige navis iter,  
 officioque, levem non aversatus honorem, 5  
 en tibi devoto numine dexter ades.  
 sacra recognosces annalibus eruta priscis  
 et quo sit merito quaeque notata dies.  
 invenies illic et festa domestica vobis;  
 saepe tibi pater est, saepe legendus avus, 10  
 quaeque ferunt illi, pictos signantia fastos,  
 tu quoque cum Druso praemia fratre feres.  
 Caesaris arma canant alii: nos Caesaris aras  
 et quoscumque sacris addidit ille dies.  
 adnue conanti per laudes ire tuorum 15  
 deque meo pavidos excute corde metus.  
 da mihi te placidum, dederis in carmina vires:  
 ingenium voltu statque caditque tuo.  
 pagina iudicium docti subitura movetur  
 principis, ut Clario missa legenda deo. 20  
 quae sit enim culti facundia sensimus oris,  
 civica pro trepidis cum tulit arma reis.  
 scimus et, ad nostras cum se tulit impetus artes,  
 ingenii currant flumina quanta tui.  
 si licet et fas est, vates rege vatis habenas, 25  
 auspice te felix totus ut annus eat.  
 Tempora digereret cum conditor Urbis, in anno  
 constituit menses quinque bis esse suo.

scilicet arma magis quam sidera, Romule, noras,  
 curaque finitimos vincere maior erat. 30  
 est tamen et ratio, Caesar, quae moverit illum,  
 erroremque suum quo tueatur habet.  
 quod satis est, utero matris dum prodeat infans,  
 hoc anno statuit temporis esse satis;  
 per totidem menses a funere coniugis uxor 35  
 sustinet in vidua tristia signa domo.  
 haec igitur vidit trabeati cura Quirini,  
 cum rudibus populis annua iura daret.  
 Martis erat primus mensis, Venerisque secundus;  
 haec generis princeps, ipsius ille pater: 40  
 tertius a senibus, iuvenum de nomine quartus,  
 quae sequitur, numero turba notata fuit.  
 at Numa nec Ianum nec avitas praeterit umbras,  
 mensibus antiquis praeposuitque duos.  
 Ne tamen ignores variorum iura dierum, 45  
 non habet officii Lucifer omnis idem.  
 ille nefastus erit, per quem tria verba silentur:  
 fastus erit, per quem lege licebit agi.  
 nec toto perstare die sua iura putaris:  
 qui iam fastus erit, mane nefastus erat; 50  
 nam simul exta deo data sunt, licet omnia fari,  
 verbaque honoratus libera praetor habet.  
 est quoque, quo populum ius est includere saeptis;  
 est quoque, qui nono semper ab orbe redit.  
 vindicat Ausonias Iunonis cura Kalendas; 55  
 Idibus alba Iovi grandior agna cadit;  
 Nonarum tutela deo caret. omnibus istis  
 (ne fallare cave) proximus ater erit.  
 omen ab eventu est: illis nam Roma diebus  
 damna sub averso tristia Marte tulit. 60  
 haec mihi dicta semel, totis haerentia fastis,  
 ne seriem rerum scindere cogar, erunt.

**Vorlesung FS 09**  
**Ovid**  
**11. Kollegstunde (07.05.09)**  
**Augusteische Identität: Wird Ovid systemkonform?**

Texte: 1. Ov. *fast.* 2, 639-684

**Text 1:** Ov. *fast.* 2, 639-684 (ed. Alton et. al., 1978 (Teubner))

Nox ubi transierit, solito celebretur honore  
 separat indicio qui deus arva suo. 640

Termine, sive lapis sive es defossus in agro  
 stipes, ab antiquis tu quoque numen habes.  
 te duo diversa domini de parte coronant,  
 binaque serta tibi binaque liba ferunt.  
 ara fit: hoc ignem curto fert rustica testo 645  
 sumptum de tepidis ipsa colona foci.  
 ligna senex minuit concisaque construit arte,  
 et solida ramos figere pugnat humo;  
 tum sicco primas initat cortice flamas;  
 stat puer et manibus lata canistra tenet. 650

inde ubi ter fruges medios immisit in ignes,  
 porrigit incisos filia parva favos.  
 vina tenent alii: libantur singula flammis;  
 spectant, et linguis candida turba favet.  
 spargitur et caeso communis Terminus agno, 655  
 nec queritur lactans cum sibi porca datur.

conveniunt celebrantque dapes vicinia simplex  
 et cantant laudes, Termine sancte, tuas:  
 ‘tu populos urbesque et regna ingentia finis:  
 omnis erit sine te litigiosus ager. 660

nulla tibi ambitio est, nullo corrumperis auro,  
 legitima servas credita rura fide.  
 si tu signasses olim Thyreatida terram,  
 corpora non leto missa trecenta forent,  
 nec foret Othryades congestis lectus in armis. 665  
 o quantum patriae sanguinis ille dedit!

quid, nova cum fierent Capitolia? nempe deorum  
 cuncta Iovi cessit turba locumque dedit;  
 Terminus, ut veteres memorant, inventus in aede  
 restitit et magno cum Iove templo tenet. 670  
 nunc quoque, se supra ne quid nisi sidera cernat,  
 exiguum templi tecta foramen habent.  
 Termine, post illud levitas tibi libera non est:  
 qua positus fueris in statione, mane;  
 nec tu vicino quicquam concede roganti, 675  
 ne videare hominem praeposuisse Iovi:  
 et seu vomeribus seu tu pulsabere rastris,  
 clamato "tuus est hic ager, ille tuus".  
 est via quae populum Laurentes dicit in agros,  
 quondam Dardanio regna petita duci: 680  
 illa lanigeri pecoris tibi, Termine, fibris  
 sacra videt fieri sextus ab Urbe lapis.  
 gentibus est aliis tellus data limite certo:  
 Romanae spatium est Urbis et orbis idem.

**Vorlesung FS 09**  
**Ovid**  
**12. Kollegstunde (14.05.09)**  
**Briefe aus der Verbannung**

Texte: 1. Ov. *Pont.* 4, 5

**Text 1:** Ov. *Pont.* 4, 5 (Sex. Pompeio) (ed. Owen, 1951 (OCT))

Ite, leves elegi, doctas ad consulis aures,  
 verbaque honorato ferte legenda viro.  
 longa uia est, nec vos pedibus proceditis aequis,  
 tectaque brumali sub nive terra latet.  
 cum gelidam Thracen et opertum nubibus Haemum                    5  
 et maris Ionii transieritis aquas,  
 luce minus decima dominam venietis in urbem,  
 ut festinatum non faciatis iter.  
 protinus inde domus vobis Pompeia petatur:  
 non est Augusto iunctior ulla foro.                                    10  
 si quis, ut in populo, qui sitis et unde requiret,  
 nomina decepta quaelibet aure ferat.  
 ut sit enim tutum, sicut reor esse, fateri,  
 verba, minus certe ficta timoris habent.  
 copia nec vobis nullo prohibente videndi                            15  
 consulis, ut limen contigeritis, erit.  
 aut reget ille suos dicendo iura Quirites,  
 conspicuum signis cum premet altus ebur:  
 aut populi reditus positam componet ad hastam,  
 et minui magnae non sinet urbis opes:                            20  
 aut, ubi erunt patres in Iulia templa vocati,  
 de tanto dignis consule rebus aget:  
 aut feret Augusto solitam natoque salutem,  
 deque parum noto consulet officio.  
 tempus ab his vacuum Caesar Germanicus omne                    25  
 auferet: a magnis hunc colit ille deis.  
 cum tamen a turba rerum requieverit harum,  
 ad vos mansuetas porriget ille manus,

quidque parens ego vester agam fortasse requiret.  
 talia vos illi reddere verba volo: 30  
 ‘vivit adhuc vitamque tibi debere fatetur  
     quam prius a miti Caesare munus habet.  
 te sibi, cum fugeret, memori solet ore referre  
     barbariae tutas exhibuisse vias:  
 sanguine Bistonium quod non tepefeceritensem, 35  
     effectum cura pectoris esse tui:  
 addita praeterea vitae quoque multa tuendae  
     munera, ne proprias attenuaret opes.  
 pro quibus ut meritis referatur gratia, iurat  
     se fore mancipii tempus in omne tui. 40  
 nam prius umbrosa carituros arbore montes,  
     et freta velivolas non habitura rates,  
 fluminaque in fontes cursu reditura supino,  
     gratia quam meriti possit abire tui.’  
 haec ubi dixeritis, servet sua dona rogate. 45  
     sic fuerit vestrae causa peracta viae.

**Vorlesung FS 09**  
**Ovid**  
**13. Kollegstunde (28.05.09)**  
**„Die erste Selbstbiographie in Versen“ (Misch)**

Texte: 1. Ov. *trist.* 4, 10

**Text 1:** Ov. *trist.* 4, 10 (ed. Owen, 1951 (OCT))

Ille ego qui fuerim, tenerorum lusor amorum,  
 quem legis, ut noris, accipe posteritas.  
 Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis,  
 milia qui noviens distat ab urbe decem.  
 editus hic ego sum, nec non, ut tempora noris,                            5  
 cum cecidit fato consul uterque pari:  
 si quid id est, usque a proavis vetus ordinis heres  
 non modo fortunae munere factus eques.  
 nec stirps prima fui; genito sum fratre creatus,  
 qui tribus ante quater mensibus ortus erat.                            10  
 Lucifer amborum natalibus affuit idem:  
 una celebrata est per duo liba dies.  
 haec est armiferae festis de quinque Minervae,  
 quae fieri pugna prima cruenta solet.  
 protinus excolimur teneri curaque parentis                            15  
 imus ad insignes urbis ab arte viros.  
 frater ad eloquium viridi tendebat ab aevo,  
 fortia verbosi natus ad arma fori;  
 at mihi iam puero caelestia sacra placebant,  
 inque suum furtim Musa trahebat opus.                            20  
 saepe pater dixit ‘studium quid inutile temptas?  
 Maeonides nullas ipse reliquit opes.’  
 motus eram dictis, totoque Helicone relicto  
 scribere temptabam verba soluta modis.  
 sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos,                            25  
 et quod temptabam dicere versus erat.  
 interea tacito passu labentibus annis  
 liberior fratri sumpta mihiq[ue] toga est,

induiturque umeris cum lato purpura clavo,  
 et studium nobis, quod fuit ante, manet. 30  
 iamque decem vitae frater geminaverat annos,  
 cum perit, et coepi parte carere mei.  
 cepimus et tenerae primos aetatis honores,  
 eque viris quondam pars tribus una fui.  
 curia restabat: clavi mensura coacta est;  
 maius erat nostris viribus illud onus. 35  
 nec patiens corpus, nec mens fuit apta labori,  
 sollicitaeque fugax ambitionis eram,  
 et petere Aoniae suadebant tuta sorores  
 otia, iudicio semper amata meo. 40  
 temporis illius colui fovique poetas,  
 quotque aderant vates, rebar adesse deos.  
 saepe suas volucres legit mihi grandior aevo,  
 quaeque necet serpens, quae iuvat herba, Macer,  
 saepe suos solitus recitare Propertius ignes 45  
 iure sodalicii, quo mihi iunctus erat.  
 Ponticus hero, Bassus quoque clarus iambis  
 dulcia convictus membra fuere mei.  
 et tenuit nostras numerosus Horatius aures,  
 dum ferit Ausonia carmina culta lyra. 50  
 Vergilium vidi tantum: nec avara Tibullo  
 tempus amicitiae fata dedere meae.  
 successor fuit hic tibi, Galle, Propertius illi;  
 quartus ab his serie temporis ipse fui.  
 utque ego maiores, sic me coluere minores, 55  
 notaque non tarde facta Thalia mea est.  
 carmina cum primum populo iuvenalia legi,  
 barba resecta mihi bisve semelve fuit.  
 moverat ingenium totam cantata per urbem  
 nomine non vero dicta Corinna mihi. 60  
 multa quidem scripsi, sed, quae vitiosa putavi,  
 emendaturis ignibus ipse dedi.  
 tunc quoque, cum fugerem, quaedam placitura cremavi,

iratus studio carminibusque meis. molle Cupidineis nec inexpugnabile telis cor mihi, quodque levis causa moveret, erat. cum tamen hic essem minimoque accenderer igni, nomine sub nostro fabula nulla fuit. paene mihi puero nec digna nec utilis uxor est data, quae tempus per breve nupta fuit.	65
illi successit, quamvis sine crimine coniunx, non tamen in nostro firma futura toro. ultima, quae mecum seros permansit in annos, sustinuit coniunx exulis esse viri.	70
filia mea bis prima fecunda iuventa, sed non ex uno coniuge, fecit avum. et iam complerat genitor sua fata novemque addiderat lustris altera lustra novem.	75
non aliter flevi, quam me fleturus ademptum ille fuit. matris proxima busta tuli.	80
felices ambo tempestiveque sepulti, ante diem poenae quod periere meae! me quoque felicem, quod non viventibus illis sum miser, et de me quod doluere nihil!	85
si tamen extinctis aliquid nisi nomina restant, et gracilis structos effugit umbra rogos: fama, parentales, si vos mea contigit, umbrae, et sunt in Stygio crimina nostra foro,	90
scite, precor, causam (nec vos mihi fallere fas est) errorem iussae, non scelus, esse fugae.	95
Manibus hoc satis est: ad vos, studiosa, revertor, pectoris, quae vitae quaeritis acta meae. iam mihi canities pulsis melioribus annis venerat, antiquas miscueratque comas,	
postque meos ortus Pisaea vinctus oliva abstulerat deciens praemia victor eques, cum maris Euxini positos ad laeva Tomitas quaerere me laesi principis ira iubet.	

causa meae cunctis nimium quoque nota ruinae  
 indicio non est testificanda meo. 100  
 quid referam comitumque nefas famulosque nocentes?  
 ipsa multa tuli non leviora fuga.  
 indignata malis mens est succumbere seque  
 praestitit invictam viribus usa suis;  
 oblitusque mei ductaeque per otia vitae 105  
 insolita cepi temporis arma manu.  
 totque tuli terra casus pelagoque quot inter  
 occultum stellae conspicuumque polum.  
 tacta mihi tandem longis erroribus acto  
 iuncta pharetratis Sarmatis ora Getis. 110  
 hic ego, finitimus quamvis circumsoner armis,  
 tristia, quo possum, carmine fata levo.  
 quod quamvis nemo est, cuius referatur ad aures,  
 sic tamen absumo decipioque diem.  
 ergo quod vivo durisque laboribus obsto, 115  
 nec me sollicitae taedia lucis habent,  
 gratia, Musa, tibi: nam tu solacia praebebas,  
 tu curae requies, tu medicina venis.  
 tu dux et comes es, tu nos abducis ab Histro,  
 in medioque mihi das Helicone locum; 120  
 tu mihi, quod rarum est, vivo sublime dedisti  
 nomen, ab exequiis quod dare fama solet.  
 nec, qui detrectat praesentia, Livor iniquo  
 ullum de nostris dente momordit opus.  
 nam tulerint magnos cum saecula nostra poetas, 125  
 non fuit ingenio fama maligna meo,  
 cumque ego praeponam multos mihi, non minor illis  
 dicor et in toto plurimus orbe legor.  
 si quid habent igitur vatum praesagia veri,  
 protinus ut moriar, non ero, terra, tuus. 130  
 sive favore tuli, sive hanc ego carmine famam,  
 iure tibi grates, candide lector, ago.